

ante peccatum habuisse homines præceptum ut omnia essent communia : post peccatum vero sublatum fuisse illud præceptum, et ideo rerum divisionem non fuisse contra jus naturæ. Sed hæc sententia, quoad illud primum præceptum, non placet, quia non video necessitatem illius præcepti. Nam si ponatur positivum, gratis asseritur, cum ostendi non possit : si naturale, probanda est necessaria connectio communitatis rerum cum statu innocentiae : nulla autem esse videtur, quia salva morum honestate, possent homines in illo statu res aliquas, præsertim mobiles et ad ordinarium usum necessarias sibi usurpare et inter se dividere. Quod notavit Almainus ibi, q. 2, art. 1; conjecturæ autem quibus utitur Scotus ad ostendendum illud præceptum, scilicet, quia communitas in illo statu esset magis accommodata ad hominum sustentationem et pacem, et similes, solum probant tunc non fuisse necessariam rerum divisionem, vel ad summum communitatem rerum futuram fuisse utiliore in illo statu; non vero fuisse necessariam. Sicut e converso congruentiæ quæ ostendunt divisionem rerum esse commodiorem in natura lapsa, non probant hanc divisionem esse sub præcepto naturali, sed solum esse huic statui, et conditioni hominum accommodatam. Adverto tamen etiam juxta illam sententiam Scoti non esse admittendam intrinsecam et propriam mutationem in jure naturali, sed solam cessationem obligationis ejus propter mutationem factam ex parte hominum, atque adeo in ipsa materia.

14. *Distinctio juris naturalis in negativum, et positivum.* — Rerum divisio non est contra naturale positivum. — Communis ergo responsio tam ad illud exemplum quam ad multa alia est, dupliciter aliquid esse de jure naturali, scilicet, negative et positive. Negative esse dicitur quod jus naturale non prohibet sed admittit, quamvis neque illud positive præcipiat : quando vero aliquid præcipit, dicitur id esse positive de jure naturali; et quando prohibet, dicitur esse positive contra jus naturale. Divisio ergo rerum non est contra jus naturale positivum, quia nullum erat naturale præceptum quod illam prohiberet. Quando ergo aliqua jura dicunt esse contra jus naturale, intelligenda sunt de jure naturali negative : sic enim communitas rerum erat de jure naturali, quia ex vi illius res omnes essent communes nisi homines aliud introduxissent. Sumitur ex de Thoma 2. 2, quæst. 66, art. 2, ad 1, et in dict. quæst. 94, art. 3, ad 3; Con-

rad., de Contract., q. 40, Covarro in regula *Peccatum*, 2 p., § 11, n. 3, et Navarro, in cap. *Ita quorundam* de Judæis, notab. 41, Glossa penult.

15. *Fortunii objectiones contra datam doctrinam.* — Hanc vero responsionem impugnavit ex juristis Fortunius Garcia in dict. 1. *Manumissiones*, n. 8. Quia juxta illam distinctionem non magis libertas quam servitus, nec magis communitas quam divisio rerum esset de jure naturæ, quod est contra dicta jura et contra communem sententiam. Sequela patet, quia etiam rerum divisio est de jure naturæ negative, quia non prohibetur. Secundo, quia alias sequeretur stando in jure naturæ potuisse unum hominem licite privare alium libertate et redigere in servitutem, quia nihil ageret contra præceptum legis naturalis; quod patet quia libertas solum negative dicitur esse de lege naturæ, scilicet, quia non prohibetur; non vero quia aliquo præcepto positivo mandetur; ergo actio contraria libertati non est prohibita jure naturæ. Tertio, inde etiam sequeretur potuisse homines licite suo arbitrio, et per potentiam usurpare, et res omnes, et jurisdictionem, et dominium in alios homines, quia in hoc non agerent contra aliquod præceptum legis naturalis, sed solum contra id quod permittebatur ex vi legis naturalis, quod non est per se malum : unde hinc videtur sumpsisse occasionem opinio quorundam juristarum dicentium reges temporales de absoluta potentia sua posse suo arbitrio dominia rerum transmutare vel sibi usurpare. Sic fere loquitur Glossa in c. *Per principalem*, verbo *Ad nos* 9, q. 3, licet non satis declaret posse principem sine causa justa id facere. Idem Angel. in l. *Item si verberibus*, § 1, ff. de Rei vindicat. Hæc autem absurdissima sunt, ut est per se notum, quia sunt contra hominum pacem et justitiam, et contra jus unicuique datum a natura.

16. *Fit satis objectionibus, et explicatur amplius doctrina.* — Sed hæc objectiones procedunt ex mala intelligentia illius distinctionis, ad quam melius percipiendam supponenda est alia distinctio juris, quæ in superioribus a nobis data est; diximus enim jus aliquando significare legem; aliquando vero significare dominium, vel quasi dominium alicujus rei, seu actionem ad utendum illa : nunc ergo idem dicimus de jure naturali. Atque ita distinctio D. Thomæ et communis intelligitur de jure naturali præceptivo, et in ordine ad materiam de qua sermo est. Quo

sensu manifestum est divisionem rerum non esse contra jus naturale, quod illam prohibeat absolute et simpliciter : et idem est de servitute, et aliis similibus. At vero si loquamur de jure naturali dominativo, sic verum est libertatem esse de jure naturali positive, et non tantum negative, quia ipsa natura verum dominium contulit homini suæ libertatis. Communitas etiam rerum aliquo modo pertineret ad dominium hominum ex vi juris naturæ, si nulla esset facta rerum divisio, quia homines haberent positivum jus et actionem ad usum rerum communium, ut est per se evidens, et recte probat prima objectio facta. Nam hac ratione libertas est de jure naturæ, potius quam servitus, quia natura fecit homines positive (ut sic dicam) liberos cum intrinseco jure libertatis, non tamen ita fecit positive servos, proprie loquendo. Similiter contulit communiter dominium rerum omnium, et consequenter unicuique dedit potestatem utendi : proprietatem autem dominiorum non ita contulit, ut egregie declarat Augustinus tractatu 6 in Joan., in fine, et cap. 1, dist. 8; et de hoc communi dominio videri potest Soto lib. 4 de Justit., q. 4, art. 1; Molin. tr. 2 de just. disp. 3.

17. Per quod etiam patet responsio ad alias illationes; nihil enim illorum sequitur, quia illa repugnant huic juri positivo et dominativo quod natura vel omnibus vel singulis contulit : unde quamvis natura non præceperit ut res semper essent communes quo sensu dicitur communitas rerum de jure naturæ (negative), tamen durante illo statu, positivum præceptum juris naturæ erat ut nemo prohiberetur nec impediretur ab usu necessario communium rerum. Quod præceptum suo modo nunc durat in his rebus quæ communes sunt, quamdiu non sunt diversæ aliquo modo : nemo enim potest prohiberi a communi usu illarum per se loquendo, id est, seclusa speciali necessitate vel causa justa. Sicut etiam e contrario, quamvis divisio rerum non sit præcepta jure naturæ; tamen postquam facta est et applicata sunt dominia, jus naturæ prohibet furtum, seu indebitam acceptionem rei alienæ : et ob hanc causam non licent ea omnia quæ in ea objectione inferuntur, ut constat; et de illis videri possunt Covarrus, lib. 3, Variar., cap. 6, et Pinel. in Rubri. C. de Resc. vendi., part. 1; cap. 1, n. 14 et sequentibus.

18. *Cur jus naturæ dominativum possit per homines mutari, non ita vero præceptivum.* — Sed adhuc obstat secundum exemplum, quia

divisio dominiorum quoad libertatem a natura facta est; quomodo ergo potest licite auferri? Et in universum oritur alia difficultas, cur possit jus naturæ dominativum, etiamsi positive ab ipsa natura datum sit, immutari, et per homines aliquando licite et valide auferri : non autem ita possit mutari jus naturæ præceptivum. Respondeo prius ad secundum exemplum, quamvis natura dederit libertatem et dominium ejus, non tamen absolute prohibuisse, ne auferri possit. Nam imprimis eo ipso quod homo est dominus suæ libertatis, potest eam vendere seu alienare. Respublica etiam per potestatem altiore quam habet ad regendos homines, potest ex justa causa (ut in pœnam) hominem privare sua libertate : nam etiam natura dedit homini vitam quoad usum ejus ac possessionem, et interdum nihilominus potest juste illa privari per potestatem humanam.

19. *Solutio et ratio differentiae.* — Ratio autem generalis differentiae inter jus præceptivum et dominativum, est, quia illud prius continet regulas ac principia bene operandi quæ continent necessariam veritatem : et ideo immutabilia sunt; fundantur enim in intrinseca objectorum rectitudine, vel pravitate. Jus autem dominativum solum est materia alterius juris præceptivi, et consistit (ut sic dicam) in facto quodam, seu in tali conditione vel habitudine rerum. Constat autem res omnes creatas, præsertim incorruptibiles, habere a natura multas condiciones, quæ mutabiles sunt, et per alias causas auferri possunt. Sic ergo dicimus de libertate, et de quocumque jure civili, etiamsi positive sit a natura datum, posse per homines mutari, quia in singulis personis est dependenter, vel a sua voluntate, vel a republica, quatenus habet legitimam potestatem in omnes privatas personas et bona earum, quantum ad debitam gubernationem necessarium est.

19. Atque ex his reliqua exempla facile expedita sunt. Nam tertium de præscriptione solum probat leges civiles posse ex justa causa mutare, vel transferre jura dominandi, quæ mutatione facta, extrinseca ratione dici potest mutari jus naturale, quia mutata materia cessat prius jus, et aliud obligat; quod non repugnat dictis, imo illa confirmat. Quartum vero exemplum de testamentis vel contractibus solum probat jus humanum posse aliquid addere juri naturali, quod etiam verum est. Neque inde sequitur aliquid contra positivum præceptum juris naturæ, quia jus naturale non

præcipit, verbi gratia, ut matrimonium sine tot testibus factum valeat: sed in hoc negative se habet non exigendo testes. Unde fit ut quamdiu jus positivum illos non postulaverit, matrimonium sine illis valeat ex vi juris naturalis: postquam autem jus positivum talem conditionem postulabat ad valorem contractus, jus naturale illi non repugnat, sed potius suo modo ad illius juris observationem obligat, et sic de aliis formis humano jure inventis dicendum est.

20. *Ad secundum.*—*Quomodo cesset naturale jus per dispensationem quæ fit in voto et aliis a prælatis.*—Ad secundum argumentum continens exempla humanarum dispensationum in lege naturali, respondetur procedere juxta secundam assertionem et illam probare. Nam primum exemplum de voto et juramento aperte versatur in materia quæ pendet ex humano arbitrio et consensu, et ita in illorum dispensatione non relaxatur in se præceptum legis naturalis, sed remittitur debitum ortum ex consensu humano, et ita cessat consequenter obligatio naturalis præcepti, ut in tract. de Juramento et voto, ex professo traditum est. Ejusdem generis est secundum exemplum de matrimonio rato; nam etiam ibi obligationi naturali substernitur contractus humanus, ratione cujus potest in illo dispensari. Quod si instes, quia lex naturalis præcipit ut vinculum illud sit indissolubile, respondeo non ita hoc præcipere naturalem legem, ut absolute sit intrinsece malum contractum illum dissolvi: nam hoc non ostenditur sufficienter ex principiis naturalibus, sed solum ut dissolvi non possit privata auctoritate et voluntate contrahentium, quia talis dissolutio non fit sine aliquo præjudicio communitatis, seu ipsius naturæ conservandæ, cui per tale vinculum fuit aliquo modo jus acquisitum, et ideo dissolvi non potest privata auctoritate: contra quam naturalem legem non fit, quando dispensatur auctoritate publica, et ita nulla dispensatio in proprio jure naturali præceptivo ibi intervenit. Quod autem id fieri possit auctoritate publica, non est contrarium, imo consentaneum ipsi naturæ, quia natura ipsa (ut sic dicam) potest cedere juri suo propter aliud bonum majus, quod in suum etiam commodum redundat: et quia administratio eorum jurium, quæ ad commune bonum naturæ pertinent, commissa est potestati gerenti curam reipublicæ; ideo non est contra naturale jus, quod talis actus auctoritate publica dissolvatur. An vero hæc potestas sit supernaturalis, vel possit esse in

pura natura, vel matrimonium esset purus contractus et non sacramentum, et quomodo locum habeat in matrimonio tantum rato, et non in consummato, in materia de Matrimonio tractandum est.

21. *An Pontifex possit dispensare in residentia Episcopi quæ est de jure naturali.*—In tertio exemplo de dispensatione in residentia Episcoporum, disputari posset an obligatio residendi sit de jure naturali vel divino positivo; sed, quia non est hujus loci, suppono esse de jure naturali. Quo supposito, Soto (ut supra retuli) negat illam esse veram dispensationem, per quam relaxatur ejus obligatio, sed esse interpretationem tantum quod in tali casu jus naturale non obliget. Quia cum illud præceptum sit affirmativum, non obligat pro semper et ideo facile occurrere possunt occasiones in quibus, seu pro quibus tale præceptum non obliget, et in illis habebit locum interpretatio. Sed hæc responsio efficaciter improbat rationibus factis inter argumentandum. Quia ubi est pura interpretatio, non tollitur obligatio, sed ablata supponitur et declaratur: in hoc autem genere est evidens, et experientia notissimum, sæpe concedi licentias, et dispensationes in casibus, in quibus per se obligatio non cessaverat: nec privata auctoritate posset tuta conscientia omitti, per quamcumque interpretationem doctrinalem (ut sic dicam) subsistente tali causa; et tamen facta facultate per Pontificem cum eadem causa sola, dubitandum non est quin tuta conscientia non resideatur; ergo signum est esse ibi veram relaxationem per potestatem jurisdictionis. Neque etiam dici potest illam esse interpretationem in casu dubio, et ideo requirere jurisdictionem, quia nullum supponitur dubium, imo supponitur ut certum causam non esse talem quæ per se valeat auferre obligationem. Quod etiam patet, quia causa sæpe est extrinseca respectu talis obligationis, ut publica utilitas in regimine totius regni, vel in assistendo catholico principi ad commune bonum Ecclesiæ, vel regni, et similes, quæ per se non excusant, et multum pendent ex arbitrio humano, et ideo possunt sufficere ad honestandam dispensationem, non vero ad tollendam per se obligationem.

22. *Auctoris sententia posse humana potestate dispensari in residentia Episcopi, et assignatur ratio.*—Concedo ergo illam esse dispensationem. Dico tamen non esse in jure naturali præceptivo per se spectato, sed in materia ejus mutando illam, quatenus etiam pendet ex consensu aut voluntate humana; qua muta-

tionem facta ipsum naturale præceptum per se cessat obligare. Declaratur, quia illa obligatio residendi non insurgit, nisi mediante pacto et vinculo inter Episcopum et Ecclesiam; hoc autem pactum et vinculum humana voluntate contrahitur, et ideo ex hac parte mutabile est saltem per potestatem publicam cap. *Inter corporalia*, de Translat. Episc., et ideo per eandem relaxari potest, et consequenter etiam potest naturalis obligatio, quæ ex illo nascitur, vel mutari, vel auferri: et declaratur amplius, quia illud pactum inter proprium Episcopum et suam Ecclesiam ex natura rei subordinatur supremo pastori, ita ut in illo pacto includatur conditio offerendi se ministerio talis Ecclesiæ cum subordinatione ad supremum pastorem, qui habet in illa Ecclesia excellentiorem potestatem et immediatam etiam curam. Quando autem Pontifex dispensat in residentia, ipse statuit quomodo pro tali tempore providendum sit tali Ecclesiæ, et quasi onus illius in se suscipit, et inde consequenter fit ut proprius Episcopus liberetur personali obligatione, non per dispensationem in præcepto naturali, sed quia illo modo revera implet pactum cum sua Ecclesia, ex quo illa obligatio præcepti oriebatur. Vel potius impletur illa obligatio alio modo incluso etiam in ipso pacto, providendo Ecclesiæ modo præscripto a supremo pastore ex rationabili causa; hoc enim supponi debet, quia hæc est justa conditio quam vinculum ipsum includit.

23. *Impedimenta jure naturæ matrimonia dirimentia nequeunt a Pontifice dispensari.*—Ad quartum exemplum de impedimentis irritantibus jure naturali, nunc supponimus esse probabilius in talibus impedimentis non posse dispensari per potestatem humanam, ut quod aliquis qui matrimonium cum una contraxit et consummavit, aliam ducat priori vivente, vel manente utroque vinculo valido, vel dissoluto priori: neutrum enim fieri potest per humanam potestatem, idemque est in similibus. Unde hæc exempla potius confirmant primam assertionem: nam hæc impedimenta, si naturalia sunt ex pura ratione pendent, non ex voluntate humana: unde non credimus esse aliquando in Ecclesia dispensatum in matrimonio inter fratres; si tamen id factum est, credendum est factum esse adhærendo opinioni dicenti, illud non esse impedimentum irritans jure naturæ, de quo plura in propria materia, et aliquid addemus in cap. seq.

24. Alia vero exempla nihil faciunt ad causam: nam in privilegiis decimarum non dero-

gatur juri naturæ, sed humanæ determinationi. Quia, licet sustentatio ministrorum Ecclesiæ sit de jure naturæ, tamen modus et distributio illius oneris inter fideles humani juris et arbitrii est, et in hoc tantum fit aliqua immutatio, ut late declaravi tract. 2 de Relig., lib. 1, cap. 14. Immunitas etiam ecclesiastica quoad personas (dato quod sit de jure divino naturali, quod nunc non agimus) non violatur, nec minuitur in se, et prout esse potest in præcepto naturali, ex eo quod auctoritate Pontificis interdum aliquis clericus privetur illa, et potestati laicæ subjiciatur, vel quia tunc potestas laica subit rationem ministri Pontificis, vel certe quia ratio naturalis non alio modo dictat hanc immunitatem, nisi cum dependentia et subordinatione ad supremum ecclesiasticum pastorem: et ita ibi nulla intervenit dispensatio in jure naturali præceptivo. Quia jus naturale non præcipit ita clericos esse immunes, ut etiam ex justa causa non possit ecclesiasticus Prælatum, præsertim supremum, eos brachio sæculari remittere, ut est per se notum. Quapropter quando hoc fit, non solum non est relaxatio juris naturalis, verum potius est justa executio justitiæ, quam divinum et naturale jus dictat. Alia vero exempla quæ Felinus ibi citatus adducit prudens omitto, quia multa ex dictis excluduntur: alia probabilia non sunt; alia vero non ad præsentem causam pertinent, sed quæstionem de dispensatione in jure divino positivo infra suo loco tractandam attingunt.

25. Ad rationem respondeo confirmare secundam assertionem, et non procedere contra primam. In his enim obligationibus quæ pendent ex consensu vel pacto humano, frequens esse potest illa necessitas dispensandi et ideo consentaneum est divinæ providentiæ ut illam potestatem reliquerit in Ecclesia. Qua ratione in tractatibus de Juramento et voto usi sumus. Item materia talis obligationis de se est mutabilis et variabilis, et humana voluntas sæpe imprudenter consentit in obligationem aliquam, et ideo materia illa apta erat ad potestatem dispensandi. At vero quando lex naturalis obligat ex vi solius rationis in materia independente a priori consensu humano, non solum esse non potest necessitas dispensationis, sed etiam illi repugnat: nam si res sit prohibita ratione naturali, est intrinsece mala: quæ ergo potest esse necessitas dispensationis in tali lege? Si vero sit præcepta, vel occurrente necessitate, talis lex non obligabit, et non erit necessaria dispensatio: vel si non

obstante necessitate lex obligat ex vi rationis, omissio illius est intrinsece mala in tali articulo, et ideo nulla potest esse necessitas permittendi illam. Et ita cessant reliqua quæ ibi adducuntur, quæ habere possent aliquem colorem pro jure divino positivo, et in suo loco tractabuntur: nam ad jus naturale non recte accommodantur. Quod vero in fine additur de interpretatione, cap. 16 tractabitur.

CAPUT XV.

UTRUM DEUS DISPENSARE POSSIT IN LEGE NATURALI ETIAM DE ABSOLUTA POTESTATE.

1. *Ratio difficultatis.*—Ratio dubitandi est, quia omnis legislator potest in sua lege dispensare, quod in humano legislatore tam generaliter et sine exceptione hoc verum habet, ut etiamsi absque causa dispenset, factum teneat; ergo multo magis in Deo: ergo cum ipse sit auctor naturalis legis poterit in ea dispensare. Confirmatur, quia ita fecisse videtur dispensando cum Abrahamo in quinto præcepto Decalogi, Genes. 22; et cum Osea in 6, quando illi præcipit accipere mulierem fornicariam, Oseæ 2; et cum filiis Israel in septimo, quando ex Dei facultate spoliaverunt Ægyptios, Exod. 12.

2. *Distinguitur triplex ordo præceptorum naturalium.*—Distinguimus tres ordines præceptorum naturalium: quædam sunt universalissima principia, ut, malum faciendum non est, et bonum est prosequendum: quædam vero sunt conclusiones immediatæ, et omnino intrinsece conjunctæ dictis principiis, ut præcepta Decalogi: in tertio ordine sunt alia præcepta, quæ multo magis sunt remota a primis principiis: imo et ab ipsis Decalogi præceptis, de quibus postea exempla ponemus. De primis non est controversia inter auctores: nam certum est in ea non cadere dispensationem respectu hominis libere et moraliter operantis. Nam si Deus faciat ut homo careat omni operatione morali, liberum usum rationis et voluntatis impediendo, excusaretur homo ab omni lege naturali, quia nec bene nec male moraliter operari posset: tamen illa non esset dispensatio in lege naturæ, sed esset impedire subjectum ne esset capax obligationis illius, sicut nunc infans non obligatur proprie lege naturali. At vero si homo relinquitur capax liberæ operationis, absolvi non potest ab omnibus illis principiis legis naturæ: quia, posita quacumque dispensatione, necesse est ut illa

principia sint regula honeste operandi: vel enim dispensatio facit operationem, vel carentiam ejus licitam, vel non facit: si non facit, nulla est dispensatio: si vero facit, necesse est ut ratio judicet hic et nunc operationem esse licitam: ergo dispensatio non potest cadere in illud principium: Bonum est prosequendum, quod amplius ex dicendis constabit. Controversia ergo est de aliis duobus ordinibus præceptorum, et præsertim tractatur a doctoribus de secundo: nam de tertio pauca dicunt, et ideo in fine breviter illum expediemus.

3. *Prima sententia affirmans Deum posse dispensare in omnibus præceptis naturalibus.*—Est ergo prima sententia generaliter affirmans posse Deum dispensare in omnibus præceptis Decalogi. Quæ consequenter ait non solum posse Deum dispensare, sed etiam abrogare totam illam legem, auferendo omnino ejus obligationem vel prohibitionem; quo facto, inquit hæc opinio, futura fuisse licita omnia quæ lex naturæ prohibet, quantumvis mala nunc esse videantur. Ex quo tandem concludit non solum posse Deum hæc non prohibere, sed etiam præcipere ut fiant: quia si mala non sunt, sed licita, cur non poterit illa præcipere? Hæc fuit sententia Ocham in 2, q. 49, ad 3 dubium, quem sequitur Petrus de Aliaco, in 1, dist. 74, et Andreas de Castro Novo in 1, d. 48, q. 1, articulo 1, et inclinatur Gersonius, alphabeto 61, lit. E et F.; Almainus etiam 3 Moral., cap. 45, ut probabilem tractat hanc opinionem: postea vero illam rejicit. Fundantur præcipue, quia omnia quæ cadunt sub legem naturæ non sunt mala, nisi quia prohibentur a Deo et ipse libere ipsa prohibet, cum sit supremus Dominus et gubernator. Item, quia oppositum non implicat contradictionem: ablata enim prohibitione, reliqua omnia facile consequuntur.

4. *Excluditur hæc sententia.*—Hæc vero sententia tanquam falsa et absurda a reliquis theologis rejicitur: et a priori improbanda est ex dictis supra cap. 6, ubi ostendimus legem naturalem, licet, ut est proprie lex divina, præcepta et prohibitionem Dei includat, nihilominus supponere in sua materia intrinsecam honestatem, vel malitiam ab ea prorsus inseparabilem: et præterea ibi ostendimus, supposita divina providentia, non posse Deum non prohibere mala illa quæ ratio naturalis ostendit esse mala. Sed licet fingamus prohibitionem additam per voluntatem Dei posse auferri, nihilominus prorsus repugnat ad id quod per se et intrinsece malum est, desinere

esse malum, quia rei natura non potest mutari, unde nec potest talis actus libere fieri, quin malum sit et dissonum naturæ rationali, ut ex Aristotele et aliis ibi ostendimus. Et videtur per se notum: qui enim fieri potest ut odium Dei vel mendacium libere facta non sint prava? Fundamentum ergo hujus sententiæ, scilicet, quod omnis malitia humanorum actuum proveniat ex prohibitione extrinseca, omnino falsum est. Ideoque ne æquivoco laboremus, separanda est quæstio de prohibitione extrinseca Dei, an possit ab ipso non fieri, vel respectu omnium, vel respectu alicujus. Nam de hac prohibitione esse potest res magis dubia, ut in dicto cap. 6 dixi; probabilius tamen esse ostendi, esse a divina providentia inseparabilem: illa vero quæstione omissa, hic absolute inquirimus an fieri possit a Deo, ut actiones illæ quæ per legem Decalogi prohibentur, malæ non sint ullo modo, ita ut nec per legem ostensivam naturalis rationis vetentur ut malæ, et in hoc sensu dicemus esse falsam sententiam Ochami et aliorum.

5. *Absurdum quod sequitur ex improbata sententia: posse, scilicet, Deum præcipere ut ipsemet odio habeatur.*—Unde a fortiori constat multo majus absurdum esse dicere, posse Deum homini præcipere ut ipsemet Deum odio habeat, quod plane sequitur ex illa sententia. Nam, si potest illum actum non prohibere, et ablata prohibitione non est malus, ergo potest illum præcipere. Consequens autem esse absurdum patet, quia non potest Deus facere ut ipsemet sit odio dignus: nam repugnat ejus bonitati: neque etiam potest facere ut sit rectum et ordinatum, habere odio rem amore dignam. Item esset ibi quædam contradictio: nam obedire Deo est quidam virtualis amor ejus, et obligatio ad obediendum præsertim nascitur ex amore; ergo repugnat obligari ex præcepto ad ipsemet Deum odio habendum. Idem argumentum fieri potest de mendacio: nam si Deus illud posset præcipere, etiam posset ipse mendacium dicere, quod erroneum est: sic enim tota certitudo fidei periret. Atque hæc etiam ratio probat de dispensatione: nam si potest Deus dispensare in omnibus, ergo in mendacio non tantum officioso, sed etiam pernicioso, et in quacumque materia; multo ergo magis poterit (ut ita dicam) secum ipse dispensare, vel potius sine dispensatione mentiri, quia respectu illius nulla est prohibitio, et alias dicitur actum secundum se malum non esse.

6. *Secunda opinio affirmans præcepta De-*

v.

calogi, quæ dicuntur secundæ tabulæ, dispensari posse per Deum, non vero primæ.—Secunda sententia est Scoti in 3, distinctione 37, quæstione unica, quem ibi sequitur Gabriel quæstione prima, articulo secundo, et refert etiam ibidem Almainus, distinguitque inter præcepta primæ et secundæ tabulæ. Primæ tabulæ dicuntur tria præcepta Decalogi, quæ versantur circa Deum; de quibus sentit duo prima, quæ negativa sunt, esse indispensabilia; tertium autem, quatenus involvit circumstantiam Sabbati, et dispensabile, et abrogabile fuisse (quod est manifestum apud omnes, quia quoad id non fuit naturale, sed positivum); quatenus vero absolute continet affirmativum præceptum cultus divini, dubitat an dispensabile sit; et de tota hac parte hujus opinionis infra dicam. Præcepta secundæ tabulæ dicuntur reliqua septem, et in universum omnia quæ circa proximos vel creaturas versantur, de quibus omnibus sentit Scotus dispensabilia esse.

7. Duo fundamenta præcipua adducit Scotus. Unum est, quia si essent indispensabilia, intellectus divinus, ut prævenit voluntatem suam, necessario judicaret, hos actus essendos et illos odio habendos, et consequenter necessitatem imposeret divinæ voluntati ad amandos actus quos præcipit, et odio habendos quos prohibet, quod reputat absurdum et dicit alibi probasse. Secundum ejus fundamentum est, quia beatitudo hominis non pendet ex aliquo actu circa creaturam: nam solo amore sui potest Deus hominem beatificare; ergo nullus actus voluntatis humanæ circa creaturam est medium necessarium secundum potentiam Dei absolutam ad beatitudinem hominis: nec etiam est impedimentum necessario illam excludens; ergo nullus talis actus circa creaturam necessario præcipitur aut prohibetur a Deo; ergo potest in omni tali actu dispensare. Unde concludit Scotus septem illa præcepta Decalogi non esse conclusiones, quæ absoluta necessitate inferantur ex principiis per se notis, sed solum habere quamdam convenientiam maximam cum natura hominis, ut illi præcipiantur vel prohibeantur, ac proinde esse capacia dispensationis. Ponitque exemplum in occisione hominis, cujus prohibitio non necessario infertur ex principiis naturæ, ut in Abrahamo (inquit) ostensum est. Atque hanc fere sententiam tenuisse videtur Bonaventura in 1, dist. 47, solumque differre quia de præceptis primæ tabulæ indistincte negat recipere posse dispensationem: